



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Titulus XLII. De Baptismo ejusque effectu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

oneris habent exceptâ p̄peruitate ita Laym, l. c. n.
7. Azor. p. 1. l. 10. c. 3. q. 2. Wiestn. n. 52.

6. Sexto tenentur Vicarii perpetui; cū tales Vicariæ vera sint beneficia juxta c. 27. *descript.* secus est de Vicariis temporaneis, qui ratione Vicariæ ad horas non tenentur, quia beneficii solum custodiam & administrationem ad tempus, non verò titulum habent. Barb. *juris Eccles. l. 3. c. 6. n. 62.* Suar. *lc. c. 22. n. 15.* dantur tamen & casus, in quibus hi Vicarii temporales ad horas tenentur, ut, dum speciatim deputati ad officium canonicum vice alterius in choro canendum; Si eis plena administratio beneficii ex autoritate & consensu Episcopi, etsi ad tempus & amovibiliter concessa; cū tunc ex tacita conditione & pacto committi censetur, ut omnia officia præstet, si nimirum principalis, cujus Vicarium agit, officium non perfolvat. V. g. dum eis commendatur beneficium, cujus beneficiatus puer est, nesciens orare, donec adoleseat, aut parochus, ut qui ob incurabilem infirmitatem beneficio præse nequit. Item si beneficium unitum monasterio autoritate Episcopi committatur alicui vicario, quamvis ad nutum amovibiliter. ita ego *in foro benef. p. 1. q. 137.* juxta Suar. & Barbos. *LL. cit.*

7. Septimò tenentur ad horas habentes beneficium in commendam perpetuam; eò quod tales commendæ spectent utilitatem eas habentium, qui licet careant beneficiorum commendatorum titulis, integram tamen habeant administrationem, & integrè fructus percipiant: secus est de habentibus temporaneas, utpote spectantes utilitatem Ecclesiæ, ejusque custodia concedatur ad tempus v. g. usque dum persona idonea instituat, sineque obnoxie reddendis rationibus fructuum perceptorum juxta Gl. *in c. nemo, de declaratione in 6.* & ita tenent Azor. *lc. q. 6.* Laym. n. 7. Castrop. *lc. p. 1. §. 2. n. 4.*

8. Octavò Coadjutor datus Episcopo habens administrationem Ego *lc.* cum citatis à me: secus est de Coadjutore etiam cum futura successione, & cui assignata portio aliqua reddituum, utpote quæ fructibus beneficii subtracta cedit coadjutori tanquam stipendium laboris, quem subit pro coadjuto, ex ea etiam ratione, quòd talis coadjutor non habeat ipsum beneficium, sed solum jus in eo succedendi eo coadjuto defuncto. Et quòd ratione unius beneficii non duo, sed unus solus, nempe proprietarius illius teneatur ad horas, & ita docent Suar. *cit. l. 4. c. 22. n. 19.* Nav. *in man. c. 20. n. 18.* Azor. *cit. c. 4. q. 1.* Garc. *p. 3. c. 1. n. 109.* Castrop. *lc. §. 2. n. 7.*

9. Nonò ad horas recitandas quotidie publicè in choro vel privatim tenentur regulares professi utriusque sexus ex instituto suæ religionis ad chorum

deputati, etsi nullo ordine sacro initiati; non tamen vi alicujus canonis Ecclesiastici, sed tum ex regula sua, tum ex consuetudine. Estque hæc obligatio gravis seu sub mortali respectu religiosorum utriusque sexus, ut probabilis sentiunt Suar. *lc. c. 17. n. 19.* Sylv. *v. hora. q. 2.* Nav. *lc. c. 7. n. 5.* Wiestn. n. 66. & alii allegantes pro hoc communem sensum fidelium ipsorumque religiosorum apprehendentium graviter omissionem horarum, tum consuetudinem, quæ cum sit in materia gravi, utpote concernente proprium eorum statum & institutum qui est orare & laudare deum, meritò continere vim legis graviter obligantis censetur. Extenditur hæc obligatio gravis recitandi horas privatim ad absentes ex choro AA. *cit. contra Cajetan. in sum. v. hora casu 14.* Bordon. *p. 1. resol. 30. n. 3.* Item ad eos qui de licentia superiorum extra monasterium degunt studiorum vel negotiorum causâ quin & ad fugitivos & ejectos, ne hi ex malitia sua commodum referant, & sit melior eorum conditio quam aliorum, qui de licentia superiorum ex causa honesta versantur extra Monasteria, quamvis non improbabiler contrarium de ejectis ad tremeas condemnatis, ad quòd hi, etsi per hoc non destinati esse religiosi, ad statum tamen non deputationum choro reducti videantur, tradunt Bonac. *de horis d. 1. q. 2. p. 2. n. 3.* Sotus & alii. Dixi tamen: *choro deputatis*; quales quia non sunt novitii, Fratres laici seu conversi religiosi Equites ex professione sua non deputati choro sed militiæ. Idem religiosi Societatis Jesu ex suo instituto non additi choro, non astringantur ad horas priusquam sacris ordinibus initiati.

10. Decimò resignatium ad recitandas horas teneri statim post collationem beneficii resignati, tradit Nav. *tr. de horis can.* eò quòd ex inde, etiam ante captam possessionem, obveniat illi ius in beneficio & dominiū. Contrarium tenente Parisio *de resignat. l. 1. qq. n. 16.* de quo vide me *in foro benef. p. 3. q. 249.*

11. Undecimò ad horas recitandas vel decantandas tenentur canonice sæculares ex lege fundationis, de quo & aliis eas concernentibus vide me *in foro benef. p. 2. q. 922.*

12. Denique quòd attinet pensionarios, hi quæ tales non tenentur ad recitandas horas canonicas, ut cum communiore tenent Azor. *p. 2. l. 8. c. 12. q. 2.* Barb. *juris eccles. l. 3. c. 11. n. 11.* Garc. *de benef. p. 1. c. 5. n. 65.* citans quam plurimos alique quos citavi pro hoc *in foro benef. p. 3. q. 537. n. 1.* contra Gambar. *de potest. legat. l. 6. n. 326.* an verò, & qui eorum teneantur ad recitandum officium parvum B. Virginis vide apud me *lc. n. 2.*

TITULUS XLII.

De Baptismo ejusque effectu.

Quest. 979. quæ sit materia & forma baptismi?

1. **R**esp. ad primum primò: materia illius remota est aqua naturalis seu elementaris, sive sit fluvialis, sive fontana, pluvialis, marina, sive calida, sive frigida, pura vel turbida, apta ad abluendum, etsi inepta ad bibendum, qualis quia non est aqua rosacea similesque expressæ ex floribus, fructibus, herbis, urina, saliva, lacrymæ, sudor, etsi apta ad abluendum;

item aqua constructa in glaciem, nivem, etsi quòd ad substantiam naturalis & Elementaris, in iis collatus Baptismus cerò invalidus est. Suar. *in 3. p. d. 20. f. 2. n. 5.* Laym. *l. 5. tr. 2. c. 3. n. 1.* cum communi, materia dubia est cerevisia & juscula bene decocta; cū secundum communem existimationem & usum non censentur aqua elementaris D. Tho. *p. 3. q. 66. a. 4.* quorum usum in extrema necessitate non esse illicitum censet Coninck. *p. 3. q. 66. n. 4.*

2. Resp.

2. Resp. ad primum secundò: Illius materia proxima est ablutio sive fiat per immersionem (qualis, & quidem trina olim in usu, & ex traditione & præcepto Apostolorum adhibenda, quæ & hodiè adhibetur validè, & quidem secundùm Abb. inc. 5. h. t. Suar. l. c. 3. §. una. Valq. 3. p. d. 140. c. 4. cum communiore, etiam si immerfus ex professo suffocaretur aquis) sive per aspersionem aut infusionem. Quamvis ut licitè administraretur; in praxi observanda sit cujusque provincie consuetudo, ut Abb. inc. 1. h. t. n. 4. Barb. n. 5. Laym. l. c. 3. n. 4. Pirh. h. t. n. 1. Arg. can. de trina 80. dist. 4. de consecrat.

3. Resp. Ad secundum: Forma Baptismi hæc est: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti*, ita ut ad valorem ipsius imprimis necessaria sit expressio singularum SS. Trinitatis personarum juxta illud Christi Marth. c. 28. v. 19. *Docentes omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti*. Quibus Baptismi formam à Christo traditam colligitur ex can. si revera & can. in Synodo. dist. 4. de consecrat. estque tradita in Concil. Florent. in decreto Eugenii §. primum. & à Trid. Sess. 7. c. 4. eamque etiam ab Apostolis adhibitam verus docent Bellarm. L. 1. de Baptismo c. 3. Suar. l. c. d. 21. §. 3. superest. Laym. l. c. c. 4. n. 3. §. atque hæc. Contrarium contra aliquos qui cum D. Th. l. c. a. 6. & S. Bonavent. in 4. dist. 3. q. 2. a. 2. asserunt Apostolos ex dispensatione divina validè baptizasse solum in nomine SS. Trinitatis, absque singularum personarum distincta expressione, aut etiam in nomine JESU invalidus est & probabilis etiam olim invalidus fuit. Unde dum Apostoli sic baptizasse dicuntur, sensus est Baptismum ab ipsis collatum secundùm Domini JESU institutionem, prout exponunt S. Cyprian. in Epist. 71. Beda var. q. 14. & alii apud Raynaud. Heterochy. Spirit. S. 1. p. 1. §. ex eadem. alias aliorum interpretationes vide apud Wiestn. h. t. n. 19. Forma verò illa. *Baptizo te in nomine Genitoris, geniti & procedentis ab utroque*: dubia est, dum aliqui probabiliter eam validam esse dicant; alii probabilis & verius id negent cum D. Th. l. c. a. 5. & D. Bonav. l. c. q. 3. a. 2. ex ea ratione, quòd præterquam, quòd eam sufficere ex institutione Christi, neque ex usu Ecclesie, neque ex sensu fidelium habeatur, Baptismum, cum sit Sacramentum Fidei, cujus præcipuum mysterium est SS. Trinitatis, conferri verbis communibus & in omni lingua notis, conveniens fuerit. Secundò necessaria est expressio personæ baptizantis apertè vel occultè dicendo; *Ego te baptizo*, vel *baptizo te*: cum dictum pronomen satis clarè in illo verbo contineatur, quin & ea satis exprimat, ut probabiliter contra Valq. cit. d. 142. c. 2. n. 19. tenet Suar. l. c. S. 2. concl. 2. Laym. cit. c. 4. n. 1. Sorus in 4. dist. 3. q. unic. a. 5. dum diceretur: *Baptizate Christum*; vel *baptizatis à Christo*: cum hoc ipso, quod quis potestate sibi à Christo delegata baptizet, satis significet, quòd Christus per ipsum tanquam Ministrum suum actum baptizandi exerceat. Wiestn. h. t. n. 14. unde etiam non valet Baptismus, dum aliquo immergente se aquæ, aut eà se aspergente, alius exprimit formam: *Ego te baptizo*, quia is illum non baptizat seu abluit, adeoque forma non verificatur, Pirh. h. t. n. 4. cum Abb. inc. 4. h. t. n. 5. Tertiò necessaria est expressio actionis baptizantis, quod quia non exprimitur, dum quis immergendo puerum in aquam dicit solummodo: *In nomine Patris & Filii & Spiritus S. puer non est baptizatus juxta c. 1. h. t.*

ex ea etiam ratione, ut Laym. n. 1. quòd baptizantis actus sit ablutio ipsa, quæ, cum sit materia proxima, per formam determinari & significari debet, quod in dicto casu non fit. Quartò expressio personæ baptizati ut satis insinuant verba Christi: *Baptizantes eos*: & expressè traditur à Concil. Florent. l. c. idque, ut appareat discretio personarum inter baptizantem & baptizatum; cum nemo à seipso baptizari possit. Ita D. Thom. l. c. Suar. l. c. concl. 3. Laym. n. 2. ideo pro nullo habentes Baptismum, in cujus forma omittitur: *ee*. Porò si latini utentes forma Græcorum (etsi supponatur in ea exprimi dicta quatuor) valide baptizent, non tamen licitè, sed graviter peccent, non observando in re gravi ritum Ecclesie Latine, ut cum Suar. Barb. inc. 6. h. t. n. 2. Pirh. h. t. n. 7.

Quæst. 180. quodnam sit subjectum Baptismi seu quibusnam validè aut etiam licitè conferri possit Baptismus.

1. Resp. primò: subjectum Baptismi est omnis & solus homo viator, non dum baptizatus, etiam parvulus juxta c. majores h. t. & Concil. Trid. Sess. 7. can. 12. estque communis, etiam quòd ad parvulos, & veritas Catholica SS. PP. testimoniis Decretis Conciliorum etiam Ecclesie nascenti proximorum sæculorum constanti usu comprobato, ex ea etiam ratione, quòd omnibus etiam soli peccato originali obnoxii ad salutem necessarius Joan. 3. v. 5.

2. Resp. secundò: Baptizari quoque possunt amentes, qui semper tales fuerunt; cum in hoc habeant sicut infantes; siquidem in talibus non requiritur voluntas Baptismum recipiendi. Item est in amentibus, qui aliquando usi ratione, si, dum eà uterentur, Baptismum expetierunt juxta quod decisum in cit. c. majores, cum præsumantur in eadem voluntate perseverare. D. Th. 2. 2. q. 80. a. 8. cum communi. Aliud est in iis, qui aliquando rationis compotes Baptismum recusarunt, aut non petierunt vel ejus suscipiendi propositum non habuerunt Suar. l. c. d. 24. S. 1. concl. 1. Laym. l. c. c. 6. n. 2. cum communi & certa.

3. Tertiò invalidus quoque est Baptismus susceptus ex metu ab omnino invito, cum in homine adulto ad ejus valorem requiratur voluntas, qualem talis non habet, est item communis & certa. Aliud est de baptismo suscepto ab eis, qui terroribus & intentatorum suppliciorum metu adacti consentiunt, cum talis consensus, etsi sit coactus, adhuc sit verus consensus, etiam absolute loquendo liber juxta l. si mulier. 21. §. 5. ff. quod metus causa c. merito caus. 15. q. 1. & Gl. in c. majores h. t. licet enim absolute non vellet baptizari, si metus tormentorum abesset, vult tamen liberè baptizari, ut tormenta evitet, unde etiam cogendus est ad observantiam Fidei Christiane juxta c. de Judæis 5. dist. 45. Multoque magis valet Baptismus infantibus infidelium collatus, eorum parentibus ad offerendum illos coactis, imò omnino invitis. S. August. Epist. 23. D. Th. 2. 2. q. 10. a. 12. Suar. l. c. d. 25. S. 1. concl. 2. Valq. d. 155. c. 6. juxta quod constat ex usu Ecclesie, Baptismum ob paternæ vel maternæ voluntatis defectum collatum proli iterari non permittentis.

4. Resp. quartò licitè tamen prolibus infidelium utroque parente invito Baptismus conferri non potest; cum enim parvuli baptizati separandi sint à consortio infidelium parentum juxta c. gaudemus de

divortii. Ne manifesto periculo perversionis & apostasie exponantur, parentibus autem auferri eorumque tutela & gubernationi (utpote quæ etiam parentibus infidelibus, maxime respectu prolium adhuc rationis usu carentium, competit) subdici sine iniustitia non possint, Baptismus, ex quo collato sequitur illa subtractio facienda illis, licet conferri non potest, quamdiu manent sub eorum tutela & potestate. Et ita docent cum communiore D. Th. 3. p. 9. 68. a. 10. Suar. l. c. 5. 3. concl. 1. Laym. l. c. n. 10. concl. 2. Barb. in can. *Judaorum*. 28. q. 1. n. 2. quos citat & sequitur Wiclin. b. 1. n. 26. Quod si verò bello capti, in servitute Christianorum redacti, & sic horum dominio & potestati subiecti, poterunt in viris eorum parentibus licetè baptizari. Suar. S. 4. Laym. cit. n. 10. §. porro Idem est si alio modo, etiam iniuste abstracti a parentibus sine ulla spe ad eos unquam redeundi, aut etiam in articulo mortis constituti, vel perpetuo amentes; cum tunc esset dictum periculum apostasie & perversioni. Laym. l. c. §. dixi. Castrop. l. c. d. unic. p. 6. a. n. 14.

Quest. 981. quis sit Minister Baptismi?

Resp. validè etiam citra necessitatem administrari potest à laicis tam viris quam fœminis, imò à non baptizatis juxta c. 1. de Sum. Trinit. can. à quodam *Judeo. can. mulier. dist. 4.* & Decretum Florent. Ecclesiæque traditionem & universalem consuetudinem. Extra necessitatem verò licetè non nisi ab Episcopis jure ordinario vel per horum communicationem à presbyteris non quibuscunque, sed Parochis similiterve curatis, & aliis verò non nisi ex delegatione seu commissione Episcopi vel Parochi, qui etiam Diacono committere possunt solennem Baptismi administrationem, uti etiam ex privilegio Pontificis ea administratio competit nominatim Episcopis Societatis JESU pro terris in-

fidelium non habentes Parochias fundatas ita Wiclin. n. 28.

Quest. 982. qui sint effectus Baptismi?

Resp. sunt tres sequentes. Primus gratia remissiva peccati originalis in parvulis & perpetuò amentibus, in adultis etiam peccatorum actualium omnium can. 2. dist. 4. de consecrat. c. 1. & clem. unic. de Sum. Trinit. c. majores h. t. Trid. Sess. 5. decreto de pecc. origin. can. 5. Secundus remissio totius pœnæ temporalis & æternæ. Trid. Sess. 6. c. 14. Tertius character indelebilis, ob quem Baptismus sine sacrilegio recitari nequit. Trid. Sess. 9. de Baptif. can. 12. quos tamen effectus non producit Baptismus fictè susceptus, dum nimirum suscipiens etiam ore dicat se velle baptizari corde tamen non vult baptizari. Proinde dum dicitur in c. c. majores, eos, qui fictè recipiunt Baptismum, recipere Sacramentum & characterem, id ita intelligendum, quòd præsumantur in foro externo recipere Sacramentum & characterem, unde & cogi possunt ad observantiam fidei & legis Christianæ, licet te ipsa neutrum receperint. Ut cum Glos. in c. c. majores. V. perdurare. Pith. b. t. n. 9. & alii. Uti etiam Sacramentum & characterem non recipiunt amentes & dormientes, si ante amentiam & somnum contradixerunt susceptioni Baptismi; quia præsumitur in illis propositum illud contradictionis, scilicet est in iis, qui ante amentiam vel somnum non tantum non contradixerunt, quia nihil fecerunt aut illis occurrit de Baptismo, sed & positivum propositum habuerunt suscipiendi Baptismum, ut Catechumeni; in iis enim præsumitur dictum propositum seu voluntas perdurare, quemadmodum ea semel habita præsumitur perdurare, quamvis non probatur mutata. Unde & Ecclesia tales amentes & dormientes in articulo necessitatis non solet baptizare.

TITULUS XLIII.

De Presbytero non baptizato.

Quest. 983. An & qualiter necessarius sit ad salutem & alia Sacramenta suscipienda & administranda Baptismus fluminis.

Resp. Ad primum: tametsi adultis ratione utentibus ad salutem necessarius non sit Baptismus fluminis, sed sufficiat Baptismus sanguinis vel fluminis, hoc est, Baptismus fluminis susceptus in voto seu desiderio, dum hujus copiam non habent, vel quia bona fide credunt se ipsa jam baptizatos Baptismo fluminis, ut satis constat ex Trid. Sess. 6. c. 4. & tradunt Laym. l. 5. rr. 2. c. 6. n. 6. Castrop. rr. 18. d. unic. p. 8. n. 2. ex S. Aug. ex ea etiam ratione, quòd ante Baptismum fluminis exercendo actum contritionis vel dilectionis DEI super omnia gratiam & salutem consequantur, si post eam ante Baptismum fluminis moriantur juxta c. 4. de Baptif. c. 2. h. t. in istiusmodi autem dilectione DEI votum servandi omnia DEI præcepta, & consequenter etiam suscipiendi Baptismus fluminis contineatur. Infantibus tamen & amentibus

necessarius est extra martyrium Baptismus fluminis, quippe qui dicti voti seu desiderii capaces non sunt. S. August. l. 3. de anima c. 9. Bellarm. de Baptif. c. 4. Suar. in 3. p. Tom. 3. d. 25. S. 1. & Catholici omnes.

2. Resp. ad secundum: Baptismus fluminis absolute necessarius, ita ut non sufficiat Baptismus fluminis ad omnia alia Sacramenta validè recipienda utpote janua ad cætera, ut cum D. Tho. 3. p. 4. 35. a. 3. cum communi orthodoxorum juxta c. 1. & 3. h. t. & can. si quis caus. 1. q. 1. Unde si presbyter sive bona fide absque Baptismo ordinatus, baptizari & de novo ordinari debet, & si ordinari denuò nolit, maneat laicus, & matrimonium contrahere potest validè quidem, sed non licetè cum in illa ordinatione sui tacitè videatur edidisse votum simplex castitatis, quod observare teneretur, etsi ordinatione illius fuerit invalida. Arg. c. 12. de convers. conjugator. Neque his obstant, quæ pro sufficientia Baptismi fluminis ad valorem ordinum aliorumque Sacramentorum adducunt aliqui. Non primò, quòd per Baptismum fluminis factus sit membrum Christi, nam, esto sit membrum illius quò